

PHILIPPVS PALATINVS.



Philippus filius fuit Ruperti principis Palatini, atq; Elizabethę Georgij diuītis Bauarię ducis filię qui natus est anno 1504. hic cum fratre Ottone Heinrico, qui postea elector constitutus, in libera-libus disciplinis & omnis generis uirtutibus honeste educatus fuit. Inde aliquandiu Ludouici patrui Electoris aulā secutus, equos regere atq; arma tractare didicit. Postea cum Carolus Cæsar esset, atq; cum Gallis bellum continuaret, in Italia se se calbris Cæsaris coniunxit, & prima rudimenta militiae ie- cit. Inde Ferdinando Archiduci Austriæ operam nauauit, atq; aliquoties in Vngaria cum Turcis leuiora prælia miscuit. Cum autem Ferdinandus ex-pulso Vayuoda Vngariam recepisset, Solymannus Turca trecentis millibus armatorum, Vngaria maiori ex parte occupata, Austriam ipsamq; Germaniā insano consilio inuadere statuit. Itaq; cum in Vngaria res prosperè successissent, Viennam clarissimam Austriæ urbem obsidere proposuit. Id cum Ferdinandus intellexisset, uiginti millia Germanorum militum Viennam celeriter in præsidium misit, atq; hisce fortissimum principem Philippum, anno ætatis 25, imperatorem constituit. Paulo pōst Solymannus, Anno 1529 ad idus Sept.